Quaestio medica ad Quodlibetariam agitanda in Scholis Medicorum die Iovis 2 Decembris. Dom. Aegidio Heron D. Medico Moderatore sapientissimo.

An motus Obesis Quiete salubrior?

Ut ab ipsis humoribus ad generationem et nutritionem necessariis convenientibus non unam eamdemque singuli homines naturam accipiunt, ita nec iisdem servantur, aut curantur praesidiis. Nam qui laudabili temperie actionum omnium naturae praeditus est, similibus, moderatisque omnibus gaudet, calidi contrariis iuvantur. Calidiores quidem qui graciles, hirsuti, venis ac conceptaculis amplioribus, iracundi, nigriores, ingeniosi et impatientes inediae existunt, refrigerium postulant. Frigidioribus vero frigido adipe luxuriantibus, pituita diffluentibus, somnolentis, glabris, stupidis, et segnitie torpescentibus calida ~~humida~~ victus ratio, vel inedia maxime competit.

Quamobrem eukratois hominibus, uti adolescentibus, labor, cibus, potus, somnus, venus omnia mediocria conveniunt. Picrocholis autem iuvenibus calidisque morbis praesidium adferunt omnia frigida, hyems laudabilioris coctionis effectrix, quies denique tum animi tum corporis. At vero phlegmaticis, obesis et senibus salubris est aestas analogus, quemadmodum et cibus caloris particeps. Sed his quidem humidus, illis siccus est decernendus. Somnus quoque his longior (sicuti pueris et mulieribus oxyphlegmaticis [?]) illis brevior cum ipsa convenit.

Praecipuum autem sanitatis studium est, non satiari cibis et impigrum esse ad laborem. Cum enim excrementa per luxum et otium plurima congerantur, eadem solvi et vehementi labore discutiuntur. Siquidem ab illo non solum partes solidae aliquando generandae roborantur, sed calor innatus omnis coctionis opifex excitatur [?], spiritusque concitatior evadit. Hinc fusis cum adipe carnibus obesa corpora emaciantur, crassi humores attenuantur, crudi per venas coquuntur, album [?] in sanguinem, supervacanei digeruntur. Qua ratione rarefactum et exsiccatum a morbis intestinis [?], a podagra praeservatur [?], ab epilepsia aetatis locique mutatione evanescente [?], denique a matura canitie vindicatur.

Si qua tamen ciborum, vel humorum subsit cruditas, copia, aut corruptela, exercitio intermittendum est. Possunt enim a cibo motus est, quo iecur, lien vel obstruuntur, ac cerebrum vaporibus oppletum apoplexiam inducit [?], quamquam fame stimulante labor non est suscipiendus, aut ab ipso cibus illico offerendus. Coctum vero tempus erit peracta haematosi (qua chylosior [?] vitium numquam reparatur) ut ex urina spissa certo intelligitur. Quod si prave per venas concludantur humores, commoti non solum febres putridas sed ad cutem partium imbecillimam educati illam scabie et pustulis inficiunt.

Quies autem motui vires habet contrarias, quae somni modo longioris impendio calidos implet, frigidos extenuat. Haec vero sine funestis pulmonum ulceribus, caeterisque partibus laborantibus, et immodicis fluoribus sit necessaria: si tamen diuturnior fuerit, non modo corpus [illegible] auget [?], humidus degravat, pepsinque remoratur, sed etiam sensus mentisque vires per eminentiam cerebri spiritus diffusas segniores facit. Hinc corpus refrigeratur, canities humiditatis soboles accelerantur. Excrementa crassa et viscida congeruntur, nec aliter quam fuligine flamma calor nativus vitae fomes opprimitur.

Ergo motus Obesis Quiete salubrior.

Afferebat Julianus Beraeus Lavallensis. 1574.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Joannes Beauchesne.	M. Sulpitius Rigault.	M. Nicolaus Le Grand M. R.
M. Joannes Riolan.	M. Joannes le Pescheur	M. Valentinus Heraume.
M. Joannes Hautin.	M. Jacobus Marant	M. Petrus Collier.